



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

XXV. De perusoribus, seu retentoribus rerum ecclesiasticarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

612 IOANNES CONCILIVM IUSTINVS IVNIOR IMP.  
P. III. CHARIBERTVS R. FR.

eodem se a caritate omnium sacerdotum cognoscat esse remotum.

ANNO  
CHRISTI  
567.

XXV.

Conc. Parif. III. c. I. Placet itaque, ac omnibus modis conuenit obseruare, vt quia nonnulli memores sui per quaslibet scripturas pro captu animi de facultatibus suis ecclesiis aliquid contulisse probantur, quod a diuersis Deum minus timentibus, eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam; nec intueri corde possint diem iudicii, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus sui, res ecclesiis, vt supra diximus, delegatas iniuste possidens præsumpsiter retinere, & veritate comperta res Deiseruis eius dissimulauerit reformare, ab omnibus ecclesiis segregatus, a sancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, nisi cum culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indigne enim ad altare Domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas & audet rapere, & iniuste possidere iniqua defensione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi sunt, qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse prouisio, vt vindictam admonitio manifesta præcedat, vt res usurpatas iniuste qui abstulit, adhibita æquitate restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, postea prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat. Neque quisquam per interregna res Dei nitatur defensare: quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit.